

illius quoque nomine orauit, ne cui verba in eam quoquo modo habita crimini forent: liberauitque Apuleiam lege maiestatis. ^a Adulterij grauiorem pœnam deprecatus, vt exemplo maiorum ^b propinquis suis ^c vltra ducentessimum lapidem remoueretur, suasisit. Adultero Manlio Italia, atque Africa interdictum est. De prætore in locum Vipsanij Galli, quem mors abstulerat, subrogando, certamen incescit. Germanicus atque Drusus (nam etiam tum Romæ erant) Haterium Agrippam propinquum Germanici fouebant, contra plerique nitebantur, ^d vt numerus ^e liberorum in candidatis præpolleret, quod lex iubebat: ^f lætabatur Tyberius cum inter filios [eius] & leges senatus disceptaret. ^g Victa est sine dubio lex: sed neque statim, & ^h paucis suffragiis: quomodo, etiam ⁱ cū valeret, ^k leges vincebantur. Eodem anno cœptum in Africa bellum, duce hostium Tacfarinate. Is natione Numida, in castris Romanis auxiliaria stipendia meritis, mox dēsertor, ^l vagos primūm, & latrociniiis

OBSERVATIONES.

a Pœna adulterij grauisissima, nempe mortis, aut relegationis à principe minui potest.

b Cum adulterium potius priuatum, quàm publicum sit crimen, non abs re est, vt, qui eo crimine contacti sunt, propinquis, quibus iniuria fit, puniendi mittantur. cuius rei non pauca exempla adduci possunt.

c Apud præfatos in more positum erat, vt adulteri vltra ducentessimum ab vrbe lapidem remouerentur.

d Planè æquum est, in candidatis numerum liberorum præpollere; hoc est, cum inter competitores, ob eum, qui ambitur, magistratum, certamen ortum est, eos alius præferri, qui, cæteris paribus, numero liberorum præstant.

e Cæteris paribus, fauorabilior est is, qui liberos, nempe, reip. seminarium, procreauit, eo, qui nullos habet.

f Illud verè est magnæ potentie signum, atque ad eò eius, quæ in libera rep. ferri non debet, cum inter leges, & aliquem discipatur; hoc est, cum tantum quis in repub. potest, quantum posse deberent leges; idque ad eò, vt quicquid illi collibitum est, id ipsum sit loco legis. Qui tantum potentia adeptus est, hoc est, qui legum interpretationis, ac vis in sua voluntate modum habet, huius in manu vniuersa resp. esse dicitur. Itaque eccui mirum sit, si Tiberius se quò voluerat, peruenisse lætabatur? nempe, vt non modo supra magistratus omnes, verùm etiam supra ipsas leges, quæ eminentissima esse deberent, extaret?

g Vinci leges tunc dicuntur, cum nimia alicuius potentia, & gratia, quem deberent, locum non obtinent.

h Etsi vnus potentia cuncta complectitur, tamen vix fieri potest, vt non aliqua re palam faciat multitudinem se præclare intelligere, artibus, ac vt tyranni cuncta rapi.

i Resp. dicitur status is, in quo valent leges. principatus verò is, in quo rerum omnium, ne legibus quidem exceptis, arbitrium & potestas omnīs est penes vnum principem. etsi hoc ipsum principis arbitrium ad legis normam dirigi debet.

k Non est nouum, non modo in principatu, verùm etiam in libera rep. vinci leges, nimis, scilicet, hominum studijs, nimique ciuium potentia.

l Aliud est bellum gerere, & aliud latrocinari, hoc est, vagos homines, & latrociniiis fuctos ad prædā & raptus congregare.

fuctos